



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Neophytus M. 20. Ianuarii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

citabantur. Enimverò interponere se hîc Tribu-
nus SEBASTIANVS, turpemq; à tam sanctis castris
fugam omnibus viribus dissuadere. Dicenti cæ-
lum applausit, piúmque oratorem lumine suo ve-
stitit, simul vox insonuit ejuscemodi, *Nunquam non
mecum eris.* Ab eo tempore non jam fictum Æscu-
lapium Romani habuerunt. Ita omnes morbos
pellere SEBASTIANVS; ita doctè, dum corpori me-
dicinam faceret, animum quoque morbidorum
ad sanam fidem adducere. Inter hos cùm jam urbi
etiam Præfectus numeraretur, imperio Diocletia-
ni malè sani medicum suum sagittis confodiunt,
confossum & prope exanimem negligunt. Sed
qui SEBASTIANI manu curare alios voluit, suâ SE-
BASTIANVM non possit? imò verò adest ille inco-
lumis, & sub aspectum tyranni iterum se sistit;
mox tamen inter fustuarium fortem animam ex-
pirat, corpusque in cloacas abjectum Lucinæ tu-
mulandum committit. *Hac ex Sur.* Cæterùm ejus
cranio hodie Ebersperga Bojorū gloriatur, magnâ
semper illuc confluentium religione, longè tamen
majori recedentium, ubi votorum damnati sunt,
lætitiâ.

*O verè illum degenerem & omnis boni expertem, qui
caelestis vitæ amore non capitur; qui timet hanc peritu-
ram perdere, ut illam possit accipere, qua perire penitus
non novit.* Ex Orat. S. Sebast.

S. NEOPHYTUS M. 20. Januarii.

ITa est. uti sua adolescentem etiam urticam
lacrimonia loquitur, ita suus nobilissimū quem-
que flosculum, cùm primùm exoritur, odor terris
cæloque prodit. Ita, quem tibi pinximus, NEO-
PHYTVS Nicæâ Bithyniæ oriundus jam inde à
puero

puero sanctiore spiritu visus est agi. Hic sub columbæ candore lectulum sæpenumerò Divi volatu ambire: hic postquam matri, quam ab eâ nascendo acceperat, vitam reddidisset, Dux ei in montem Olympum esse, speluncam hospiti monstrare, & à feris purgare. Ecquid porrò mirum, si post ipsum Numen, Angelum etiam tutelarem tam habuit familiarem? Nam iste victum clienti suo ministrare; iste sub annum trecentimum, cum vale jam parentibus divino jussu dixisset, opesque in pauperem turbam erogasset, ad tribunal Decii Imperatoris comes esse, testis virtuti clientis sui apud Superos, & præco futurus. Ibi Martyr à flagris, flammis, ferisque innoxius, nocenti tandem carnificis ferro cecidit, monuitque non mentiri poëtas, qui ex Olympo ad cælos esse aditum canunt. *Ex Martyrol. Rom. & Mensis Græcis.*

Delectatur Dominus JESVS in gravitate vitæ, in cordium puritate, & in perfectione virtutum servorum suorum. Propterea Angelicam conversationem tenere conentur, quotquot caelesti domino gravissimum desiderant exhibere famulatum. B. Laur. Just. de discip. Monast. Convers.

S. FRUCTUOSUS E. M. 21. Januarii.

IBant ab Æmiliano Præsede missi lictores, qui **FRUCTVOSVM** Tarraconis Episcopum in vincula abriperent. Non fugit hic, sed bonum se pastorem probaturus obviam etiam ivit lupis. In carcere verò constitutus signum scilicet expectavit, quo currere ad immortalitatem juberetur. Jamq; feria VI. aderat, quâ Christus ipse martyribus mappam misit, cum **FRUCTVOSVS** duobus stiparus comitibus ad rogam cucurrit. Ex itinere oblatum à
piis